



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

16. Dies Novemb. Quis sic delectat, quàm ille qui fecit omnia, quæ  
delectant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**



mundo. Habet enim mille quibus cor capiat dolos, quibus implicet laqueos. Ergò

*Effuge jucundi laqueos, & retia mundi.*

## 16. DIES NOVEMB.

Quis sic delectat, quàm ille qui fecit omnia, quæ delectant. *S. Augustinus in Psal. 32.*

Deus fons I.  
omnis delectationis.

**N**on plus potest esse anima sine delectatione, quam sine respiratione. Quamdiu spiras, semper in aliquo, quo quiescas, respiras. Itaque cum delectari necesse sit, debes delectari caducis, aut æternis, humanis, aut divinis. Illa est mens D. Gregorii. *(a)* *Esse sine delectatione anima nunquam potest: Nam aut infima delectatur, aut summis.* Quid te abjicis ad infima, qui natus es ad summa? non modò quæris semper habere summa, sed ambis ubique esse summus, nusquam non primus. Cæsar tamen erat intemperanter ambitiosus, ut maluerit in ignobili vico primus esse, quam in arce orbis Romæ, secundus. Nonne hæc est stultitia summa, velle in omnibus esse summum, præterquam in delectatione? unde expectandum summum gaudium, nisi in summo bono? quidquid usquam ulli sensui, vel rationi, vel voluntati occurrit delectabile, nunquid est ex eo, qui est ipsa delectatio, & qui fecit omnia delectabilia? quasi verò plus te delectabit aliquid delectabile, quam ipsa delectatio. Si nolis fervire, si timeas ne in te mundus dominetur. *(b)* *delectare in Domino.* Ne timeas spernere quæ hætenus te oblectarunt; nullum delectationis patieris damnum,

accip

*(a)* L. 18. Moral. c. 8. *(b)* Psal. 35.



at dolos,  
 accipies cum foenore lucrum. Crede hic Augustino,  
 (a) *Omni homini converso ad Deum mutatur delectatio*,  
*mutantur deliciae, non enim subtrahuntur, sed mutantur.*  
 Mutantur in meliores, in sanctiores, in puriores; pro  
 licitis, licitæ; pro turbidis, claræ; pro sordidis inta-  
 quæ de-  
 mutæ succedunt.

II. Deinde magnus est error quod animus per va-  
 palabundus vagatur, ut gaudium emendicet, cum  
 gaudii patria non sit à nobis distita, sed apud nos pro-  
 ma, imò in nobis intima. Quàm demens esset, qui  
 mensum emetiretur oceanum, transiliret regna,  
 ultraet non urbes, sed orbis, ut investigaret id quod  
 omni habet. Procul quærimus, quod propè habe-  
 mus; quæris extra te; quod est intra te, quæris per  
 omnia loca orbis, quod est in medio cordis, licet fin-  
 gere gaudium pro libitu, quisque suæ lætitiæ est faber;  
 gaudii architectus. Præstaret hic severa Sinarum  
 xx, omnes peregrinos, & extraneos regni sui aditu  
 interdicens; capitali interminatione; ita vastum im-  
 perium pax ferè æterna servavit; At modò ubi extra-  
 nei advenerunt Tartari, omnia ardent bellis, totum  
 regnum in varios divisum est Dominos. Talem de-  
 bet voluntas sancire legem, si velit tutari pacem,  
 nihil alienum, nihil peregrinum admittat, non intret  
 Plutus, Bacchus, non Venus, non Mercurius, illi sunt  
 Tartari, quia emissi è Tartaro. Illi sunt alienigenæ,  
 inferent pacem, inferent bellum. Ut semper gaudeas  
 in Domino, unus tantum admittatur Dominus. Si  
 ille solus totum possideat, habeat cor unde securè  
 gaudeat. Itaque mente caret, qui eo mentem conjicit,  
 ut dives, potensque, ut latè vivat, qui ut delectetur,  
 occupatur fortunæ infida dona, male fida munera.

(a) In Psal. 74.

Mmm 2

Qui



Qui inde delectatur, semper, ne quid gaudium illi tollat, periclitatur.

II. Habet enim contra se discrimina terræ, pericula maris, invidentiam vicini, odium inimici, insidias grassantium, proditiones servorum, incursiones latronum, inclementiam cœli, volubilitatem temporum, legem mortis, licentiam illegis fortunæ, & si nihil aliud, ipsam rerum infirmitatem, nullo impellente ruiturarum. Si hæc non satis, ipsam potentiam providentiamque numeres. Quis unus audebit adversus tot æmulos certare? quis resistet solus tot copiis calamitatis extrahentibus imò è pectore cum rebus gaudium revulsum? O sollicitum gaudium, cui semper subest, ne pereat, periculum. Vis semper gaudere in Domino? alloquere cum Augustino, his verbis Dominum. (a) Absit Domine, absit à corde servi tui qui confitetur tibi, absit, ut quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impiis sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. Et ipsa est beata vita; gaudere ad te, de te, propter te. Ipsa est enim, & non est altera. Consonat Doctor mellifluus. (b) Revera illud verum, & solidum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore percipitur, & quod cum conceperis, nemo tollet à te, cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est, omnis suavitas, dolor est, omne dulce amarum, omne decorum, sedendum, omne postremo quodcumque delectare potest, multum. Horres tristitiam? imprimè menti illam D. Francisci sententiam, & proscribes animo omnem tristitiam, admittes læticiam, Sic ergò ipse: Numquam eris tristis, si memineris Deum esse tuum Patrem, & Christum

(a) L. 10. Confess. c. 22. (b) S. Bernard. ep. 114.



Novemb.

Christum Fratrem, Spiritum Sanctum Gubernatorem, & B.  
 Virginem tuam Advocatam. Denique.  
 Jure tibi plaudes, solo si numine gaudes.

## . 17. DIES NOVEMB.

In Deo est omnipotens misericordia, & misericors  
 omnipotentia. S. Fulgentius ep. 7. 6. 4.

Dei benignitas.

I. **D**Eus non modò in se est bonus sed in alios, imò in omnes, & omnia, quia fecit omnia valde bona. Exundat ergò ejus benignitas plenis alveis, ita ut de ejus plenitudine accipiant universi, imò tota rerum universitas. Hæc est indoles boni, se effundere, vult enim bonitas sua bona esse omnium. Sed lucis suæ radios quaqua-versum latissimè emittit. Ignis per totam spheram suæ ditionis calorem spargit. Fons scaturiens, continuo aquas ebullit, & effundit. Deus Sol justitiæ illustrat omnia radiis suæ misericordiæ. Fons aquæ vitæ est, irrigans universam faciem terræ, ex quo maxima profluunt beneficiorum flumina. O utinam hujus solis radios, hujus ignis scintillas, hujus fontis rivulos excipere, & aliquousque exprimere possimus, ut bonorum omnium largitorem diligere satagamus: Expende hîc summum illud, & omne bonum suæ nobis bonitatis præbere affectum, & effectum; ut in altero se benevolum, in altero se exhibeat beneficium. Quo autem modo? non vi adactus, non necessitate compulsus, non sua utilitate aut lucri spe adductus, multò minus adactus, non muneribus devinctus, non officiis provocatus: sed gratis, merè liberè, sponte, pro bona sua voluntate, liberaliter, copiose,

Mmm 3

piose,